




DE
D

DE
D

D



Sammelband Ca. 18.



1938 Q 9221





les

9709

^{5.}
QVÆSTIO, *quæstio*

*Odiosa quidem, sed maximè nota-
bilis & singularis:*

**Annon præsentissi-
ma sit Inclytæ domus Austri-
acæ modernæ abs Imperiali
axiomate, clavo, & sce-
ptro remotio?**

*Non tam ex profanis quam
Sacrosanctæ scripturæ cum experientiâ
rerum omnium magistrâ & oculari even-
tus consentientis elogio succinctè,
dilucidè tamen ex-
plicata.*



**ANN O
M. DC. XXXIII.**

OVASTIO

Officiis quibus, sed maxime
in d. Augustini

Abbas praeclari

nae in inclinat domus Augusti

et modestas ab imperiali

atque, clavis de re

per tunc

Non tam ex profecto

hinc inde scriptura cum

etiam omnino magis et

in scriptura et in

hinc inde

hinc



ANNO

MDCCLXXII





Cum DEO,
QVÆSTIONIS
DE
Modernæ domus Austria-
cæ remotione

*Succincta & dilucida ex-
plicatio.*

AUstriacam domum ex DEI be-
nedictione hætenus per aliquot
secula maximopere floruisse an-
nales dicunt. Licet enim ex Comi-
tibus Habsburgicis ea primitus orta,
attamen à Calico numine in tantum
exaltata, ut exinde duodecim ad guber-
nandum Romani Imperii clavum eve-
cti Imperatores, quos hoc ordine histo-
ria locant & enumerant:

1. **RUDOLPHUS I. cognom. Mitis, electus anno 1273.**
2. **ALBERTUS I. cogn. Fortis.**
3. **FRIDERICUS, cogn. Pulcer.**
4. **ALBERTUS II. cogn. Gravis.**
5. **FRIDERICUS III. cogn. Pacificus.**
6. **MAXIMILIANUS I. cogn. Prudens.**
7. **CAROLUS V.**
8. **FERDINANDUS I.**
9. **MAXIMILIANUS II**
10. **RUDOLPHUS II.**
11. **MATTHIAS**
12. **FERDINANDUS II.**

Quod certè insigne Numinis divini munus syduq; est in tam Inclytam domum Austriacam, cuius hactenus praemultis aliis annos circiter trecentos & sexaginta Imperatoria Dignitatis thronus

num conscendere datum, quale spaciū
nulli alteri familia à quarti hujus Da-
nielatici regni exordio concessum, ut
tān liberalissimam Dei munificentiam
Austria Archiducibus gratā mente
intimius agnoscere, & summa cum ve-
neratione exosculari, neq; vel minimo
collutulare erratulo, nedum exemplis
flagitiorum & incestuosorum & fedi-
fragorum planè inauditis excutere &
annihilare remis veliq; quod dicitur,
omnibus hætenus contendendum fuis-
set. At, proh dolor! contraria abs
eorundem quibusdam suscepta & ho-
dieq; peragi fama malum, quo non aliud
velocius ullum, passim & ubiq; terra-
rum ingeminat. Cum igitur hujus-
cemodi & alia id generis peccamenta
hic occurrant, haud immeritò quari-
tur: Annon præsentissima sit in-
clytæ domûs Austriacæ modernæ
abs axioma imperiali remotio?

A 3

Eapro

Et propter hanc paululum exordioli
sumsisse experientia quidem attestatur,
omnino eadē verò & totalem propodiem
fore astrologorum quidam, suppresso li-
cēt Austriacorum, sapientioribus tamen
facilimē obviante, nomine, hactenus
tām ex astrorum positurā, quām ex aliis
informati propalare haud sunt veriti,
sub quibus quamvis Particium fa-
miliam ducere hactenus patuit, virum
tamen in citato Danielis loco aut erras-
se, aut typographi vitio corruptum ex-
emplar dico. Cū autem mearum mi-
nimē sit partium ex astris certi quid de
supposito problemate affirmare, ideoq;
Austriacam domum modernam abs
imperiali axioma, clavo & sceptro re-
movendam, membris insimul omnibus
sequentibus sumtis & sociatis, non ego,
ceu homo humane labis haud expers,
sed ipsissima Veritas adserit, & quidem,
seriatim procedendo.

l. Ex

I. Ex Danielitici præfagii ener-
vatione. Etenim quarti hujus regni
divisionem, seu ex familia in familias
transplantationem per violatam san-
guinis reverentiam declinare volenti-
um, atq; sue familia soli seu continuâ
successione, seu jure quodam heredita-
rio vindicare allaborantium conatum
omniinò fore irritum, vanum, & fru-
straneum, expressè v. 43. cap. 2. Daniel
innuit, cum, ut ratio nervosè ponitur,
nequaquam sibi mutuò sint adhesuri,
adeoq; nequaquam quarti istius imperij
axioma in tali sola (sibi illud per affini-
tates appropriare volente) familia com-
morandum, sed abs istiuscemodi (solis
sibi adscribere machinantibus) Dyna-
stis auferendum, & ad alias familias
transplantandum. Quid verò sole
clarius, quàm quòd moderna domus
Austriaca unà cum Hispanica (testan-
te hoc Lipsio in lib. de Const.) tantum
A 4 imperiò

imperii axioma etiam aliis Dynasti-
rum familiis haudquaquam concedere,
sed sibi suisq; solummodò verè vel suc-
cessorium vel hereditarium reddere, &
reservare uti aliis modis sic etiam san-
guinis mixtione gnarissimè allabora-
verit & adhuc conetur strenuè? Qua-
propter abs e' dem tantam dignitatem
repetundam & inter alias etiam famili-
as partiundam, Daniele adserere ca-
cui sit, qui non videat.

Ex legitimæ sanguinis re-
verentiæ commaculatione. Qui-
cunq; non habitus sanguinis & affinitas-
tum reverentiæ sub veteri fœdere con-
nubia inierunt, eos omnes maturè, Ne-
mesi divinâ interveniente, a vitâ digni-
tate sua privandos privatosq; scriptura
edocet. Unde inibi non tantum con-
sanguinitatem, ut quidam fingunt, sed
& affinitatem expressè Leviticorum
cum primis cap. 18. v. 16. prohibitam le-
gimus,

gimus, ubi exposito & negato genere re-
ctè etiam ponuntur & negantur species.
Nec n. brutis seu irrationalibus, sed ho-
minibus & rationalibus ex generaliori-
bus specialiora colligere valentibus lex
ista à Numine lata est; Hinc etiam ipso-
met Cananeos, quibus tamen ut gentili-
bus lex Mosaica nunquam data, hujus
vitii seu consanguinitatum & affinitatè
commaculatarè nomine a vitæ dignitate
& ditione suâ privatos, ibidem v. 24.
25. Deus ait. Quòd si igitur sub veteri
fœdere Jehovah legis istius sue trans-
gressores etiam ethnicos, nedum Jude-
os, de dignitatis & ditionis solio maturè
detrusit, quis modernam domum Au-
striacam planè impunem fore dicetabit
excedentium tot affinitatum labe hæte-
nus abundantem?

3. Ex toties iteratâ fidei datæ
violatione. Quot fidei perdas, tot
dignitatis sue solio spoliatos historiæ sa-

era & profana enumerat. Hinc Saul-
lem falso jurantem 1. Sam. 19 v. 6. &
Hoseam regem fœderis prœvaricatorem
2. Reg. 17. nec non Zidekiam ob fidem
Nebucadnezari datam & non serva-
tam regno privatum 2 Paral. 36. v. 13.
Ezech. c. 17 v. 18. atq; Judæos fœdifra-
gii nomine absumptos Zachar 5. v. 4. le-
gimus. Id quod quàm optumè pensi-
culans Josua fidem datam Gibeonitis
etiam contra expressum Numinis edi-
ctum servat, Jos. 9. Et quid queso
aliud anni 1080. idibus Octobris Rudol-
pho Svevo Bavaria Ducatum ut &
dexteram manum abstulit, quàm fœdi-
fragium? ad hoc enim abs Episcopis se
persvasum mancus retulit, spectate, in-
quiens ad Episcopos, vos Domini, ma-
nus hac est, qui fidem dedi Domino
Imperatori, hac igitur pœnam nunc ex-
olvit perfidie justissimam. Quin &
Ladistum Ungaria regem anni 1444.
d. 10.

d. 10. Novembris quid regni bonâ parte
& vitâ hâcce privavit, adeoq; de tante
dignitatis solio deturbavit aliud, quam
Cardinalis Juliani instinctu admissum
fidei perditum? nam & Amurathes
ipsemet cruce Christi sub Christianis
conspecta, vindica, inquit, Christe,
si Deus es, tantam Christianorum per-
fidiam. Deniq; ut pluribus abstineam,
alterum Ladislaum anno 1490. Thoma
Strigoniensis Cardinalis jussu fedifra-
gum optimo dignitatis pariter & fortu-
nae successu spoliatum quàm optumè no-
vimus. Nec ullum rescissi fidei pacti
impunè abeuntis exemplum referunt
historici. Etenim vir multum jurans
implebitur iniquitate & non discedet à
domo illius plaga &c. Si in vacuum
juraverit, non justificabitur, replebi-
tur enim retributione domus illius, verè
ait Ecclesiasticus c. 23. v. 12. 14. Ad, qui
jurat proximo suo, & non decipit, non

A 6

move-

movebitur in aeternum, Psal. 15. v. 4. 5.
Quid igitur de consimili tot tantorumq;
in oderna domus Austriaca perjuriorum
(vide de his Campanam Horologii) seu
operatione seu eventu consimiliter sit
statuendum, sapientiorum facio iudici-
um.

4. Ex nimia & continua per-
secutione. Omnes persecutiones vel
tandem in ipsosmet persecutores acerri-
me & gravissime redundasse ex histo-
riis est liquidissimum. Quis enim,
qualisve Pharaon, Amalec, Arad, Sihon,
Og, Jabin, Sissera, Saul. Ahab cum Je-
sabele, Sennacherib, nec non Haman,
Antiochus, Herodes & alii? Persecu-
tores & vera Ecclesiae vexatores. Quo
autem cum eventu? infelicissimo sane
& plane admodum tragico. Quin &
res gestas Neronis, Domitiani, Trajani,
& Antonini Philosophi, Severi, Maxi-
mini, Decij, Valeriani, Aureliani, Dio-
cletiani

cletiani ut & Maximiani, si quis examinauerit, nil nisi hominum tyrannides & aduersum veram Ecclesiam susceptas & crudelissimè exercitas reperiet persecuciones, ast itidem eventu perquam miserrimo. Inueniet enim historiam cuiusq; examinando, sumto ex desperatione veneno & proprio adaptato ferro Neronem, septem per cubicularios vulneribus Domitianū, apoplexia primum & hydrope deinde Trajanū, à militibus cadauere canibus & volucribus ad lacerandum projecto, capite verò Romanam misso occisum Maximinum, à Gothis in praelio casum, sic ut inter caesos nec corpus inueniri potuerit, Decium, à Sapore Persarum Rege victum & scabelli loco in conscendendo equo habitum Valerianum, proprii secretarii fraude Aurelianum, deglutito veneno Diocletianum, deniq; suspendio Maximianum vitam finisse & tragicè periisse.

riisse. Quin & vera Ecclesia perse-
cutores unà sum habitaculus & urbibus
per Dominicum exercitum deletos, Do-
minus ait, Matth. 22. v. 7. uti Solyma
testatur Luc. 19. v. 44. Unde etiam
pena talionis Apoc. 13. v. 10. c. 16. v. 6.
imò AntiChristianis duplicata paran-
da predicatur c. 18. v. 6. Verissimè igi-
tur Jobi c. 15. pronuntiatur: tyrannus
non ditabitur, nec perseverabit substan-
tia ejus, nec mittet in terra radicem su-
am; antequam dies ejus impleantur,
peribit, & manus ejus arescet, v. 29. 32.
&c. Quot autem & quantas etiam ex-
citarit Austriaca Domus moderna, Fer-
dinandus cum primis II. persecutiones,
Carniola, Carinthia, Styria, Austria,
Moravia, Bohemia, Silesia, & quæ sunt
alia regiones cum lacrymis abunde de-
plorant.

§. Contumaci & plusquam
mascula AntiChristi sublevatio-
ne.

ne. Magnam illam meretricem apoca-
lypticam cap. 17. Johanni detectam de-
signare ipsummet Magnum illum An-
tiChristum Occidentalem seu Roma-
num in confesso est. Bestiam verò coc-
cineam Meretricis seu AntiChristi illi-
us subjugem veetricem esse imperium
Romanum, quod bestiale, pariter constat.
Jam verò expresse dicitur bestia illa ba-
julatrix, ut seriatim eventura enume-
rem, 1. vincenda 2. viva comprehen-
denda 3. ad inferos detrudenda, Apoc.
17. v. 8. 11. 14. c. 19. v. 20. Quod verò
hæcce omnia presenti tempore sint evē-
tura, ex hisce apparet rationibus. Ete-
nim adest. 1. Jam olim calitūs signifi-
cata belli presentis ratio, quæ est vere
seu Christiana nostra religionis infesta-
tio Apoc. 19 v. 19 Nostram autem imò
Christi religionem infestandi animum
Papalibus fuisse & etiamnum esse, alia
ut taceantur, edictum cum primis atte-
statur

Statu de restituendis bonis Ecclesiasticis
Caesareum, ut & hujus antisthac
cepta executio. Adest 2 Danieliticarum
circumstantiarum adimpletio. Spolia
namq; ex Lutheranis sat ampla per Pa-
pales, Tyllio, Pappenheimio, Wallen-
steinio, & horum & Gasitac familiam
ducentibus, reportata, quin & ut aro
Lutheri biblicam, sic nuperius ex Se-
ptentrione per Magnum Svecorum Re-
gem & Serenissimum Saxonia Electo-
rem bellicam famam excitatam, scor-
sumq; Romanum invasum, Dan. 11. 12.
v. 43. 44. experientia comprobat. Ad-
est 3. Papalium nimiam ignominiosa
tractatio. Quali enim modo à nostrati-
bus imò Christo ipso albo vera Religio-
nis & approbati Candoris equite gau-
dente & triumphante excepti sint Pa-
pales, Marchiaca, Lipsiaca, Francica,
& nuperius habita Luzenensis pugna
edisserit. Verè namq; haud secus atq;
in caena

in cæna Magni Dei seu Christi nostri
gavisa & saturata volucres cæli ex de-
glutitione carnis cæsarum Papalium e-
quitum pariter & equorum, Apoc. 19.
v. 17. Unde & ipse Dominus: ecce con-
jiciam illos, qui cum meretrice Jesabel
scortati sunt, in afflictionem maximam,
Apoc. 2. Adest & cornuum quorun-
dam ex illis ipsis bestia decem facta ad
nostrates transitio, Apoc. 17 v. 16. quor-
sum enim Polonicum, Ungaricum, Bo-
hemicum, Gallicum & Consimilia spe-
dent, ὁ Φαλαμοφανερώς patescet. Ex
quibus ut & aliis, quæ adduci possent,
rationibus, lucidissime apparet, jam
jam instare bajulantis bestia, adeo-
q; domus Austriacæ (ad quam Hispani
ἐξορκίως ut membrum bestia baju-
lantis principale pertinet) interitum.

6. Ex cæpta periodici tempo-
ris terminatione. Quemadmo-
dum namq; cuilibet rei certum est præ-
fixum

fixum durationis tempus, sic & regno-
rum tempora Deus disponit & determi-
nat. Dan 2. v. 21. Hinc aptissime vi-
do per Julium copius licet longè inferio-
rem, ideoq; de Numinis providentia
dubitanti Pompejo, fatales esse, respon-
dit Cratippus, imperiorum periodos, &
fato jam converti Romanum imperium
in monarchiam. Quòd si igitur cujus-
libet familia Imperii Romani clavum
hactenus gubernantis terminum accu-
ratiùs trutinaverimus, nullum tanto,
ut Austriacae familia, durasse tractu
inveniemus. Ut enim paululum à ge-
mino, quod dicitur, ovo rem exordiar,
omnium prima Caesarum extitit in
Romani hujus Imperii sceptro mode-
rando familia, ad hanc vix sexaginta
& octo fuit annorum, cum in Julio ca-
pta, in Domitio Nerone desit. Media
Francorum à Carolo Magno anno Chri-
sti forte an. 771. capta & in ejus filiis ne-
poti-

potibusq; continuata, anno circiter 911.
in Ludovico IV. cessavit, postquam an-
nos 140. duraverat. Subsequens, quæ
Saxonum, per Heinricum I anno Chri-
sti 919 inchoata, finita est in Heinrico
II. anno 1024. postquam annos 105. pa-
riter duraverat. Atq; ut de postero-
rum Francorum, nec non Bavavorum
regno jam nil dicam, ultima Austria-
corum exordio in Rudoipho Comite
Habsburgensi anno 1273. sumto, annos
360. hætenus duravit. Qui, tanti
temporis tractus nulli alteri Imperato-
rum familia à Numine concessus non
signum topicum, sed κερτήριον omninò
est apodiëticum amittendi clavi, sceptri-
q; imperialis.

7. Ex insperatâ & planè ino-
pinata propriæ hypotheseos sub-
monitione. Caipham tempore pa-
tientis Christi sibi suisq; proprium præ-
ter omnem spem & expectationem præ-
dixisse

dixisse exitium, ex Evangelica historia
noticia constet. Non ergo mirum, quod
Papales, Caipha successores, sibi suisq;
sequacibus pariter nolentes volentes so-
lennen & insignem objectionem vatici-
nati sint. Etenim in octavo (sed sup-
positicio Apostolorum, Clementis versi-
oni falsissimè adscripto, verissimè au-
tem circa exorientis Romana Thai-
dos primordia à ministris purpuratis
condito) canone sic statuerunt: si quis
episcopus, aut presbyter, aut Diaconus
sanctum Paschæ diem ante verna-
le æquinoctium cum Judæis cele-
braverit, abjiciatur. Subsumo jam:
atqui omnes Papales (ad normam Ca-
lendarii noviter introducti) anno 1609.
& 1622. adeoq; bis hætenus sanctum
Paschæ diem cum ludais celebrarunt.
E. omnes Papales abjicientur, & per
consequens moderna simul Domus Au-
striaca.

Que

Quae & consimilia (quorsum etiam
à quibusdam refertur Esdra cap. ii. &
12. cum primis, non nisi duodecim aqui-
le alas in dicta domo admittens) ad o-
culum sanè demonstrant: moderna do-
mus Austriaca abs imperiali axiomate
remotionem.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.


Cum autem nulla sit regula, qua non
admittat suas exceptiunculas, ideoq; sit
modò ex domo hactenus Austriaca, qui
Ioannis & Ioannis Friderici Electorum
olim 'Saxonum fidem,' patientiam, &
Constantiam amuletur, & maturè con-
vertatur, is sanè Dominica commone-
factionis Apoc. 3, 18. extantis virtute
suo modo subsisteret. Heus! igitur,
inclyta domus Austriaca, svadeo
tibi emere à me aurum ignitum
probatum, ut locuples fias, & ve-
stimentis albis induaris, ut non
appa-

appareat confusio nuditatis tuę,
& collyrio unge oculos tuos, ut
videas, ait ibidem Dominus. Ea-
propter vale, Austriaca Domus
nimium quantum hactenus exal-
tata, resipisce, regredere, & vel tã-
dem convertere jugum Pontifici-
um nobiscum animosè demoli-
endo; hoc enim & non alio,
tibi tuisq; quàm optumè
consules, modo.

Vale.

S C R I P S I.





9 K 4. 5908

Handwritten text in a Gothic script, likely a library inventory or list, running vertically along the right edge of the page.



31 2888

f


ULB Halle 3
 004 847 059




Sb.

VD 17





Farbkarte #13

B.I.G.



^{5.} QVÆSTIO, *quæ*
osa quidem, sed maximè nota-
bilis & singulari:

non præsentissi-
t Inclytæ domus Austri-
: modernæ abs Imperiali
axiomate, clavo, & sce-
ptro remotio?

tàm ex profanis quam
nctæ scripturæ cum experienciâ
omnium magistrâ & oculari even-
consentientiâ elogiis succinctè,
dilucidè tamen ex-
plicata.



ANNO
M. DC. XXXIII.

